

(1243) 1244, febrer, l

*L'abadessa Berenguera i la comunitat de Sant Daniel doten la piateria amb béns i rendes situats al vescomtat de Bas, a Olives i a Esplugues (Barcelona) i amb vint sous de deixes fletes pels difunts.*

ASD núm. 134, perg. mig., 210 x 198 mm.

Sit notum cunctis quod nos Berengaria, Dei gratia Sancti Danielis abbatissa; cum consilio et uoluntate nostri conuentus donamus et assignamus loco pietarie predicti monasterii in perpetuum totum honorem quem habemus et tenemus et tenere debemus in toto uicecomitatu de Basso, et quicquid ibidem habemus et habere debemus. Item donamus et assignamus predicto loco pietarie in perpetuum fūum nostrum mansum quem habemus apud Oliuas, quem habitat per nos Faber de Oliuis. Item donamus et assignamus eidem loco in perpetuum totum honorem et ius quem habemus uel habere debemus in episcopatu Barchinone, in parroechia de Spelugiis. Item donamus et assignamtis eidem loco in perpetuum et annuatim .XX. solidos de omnibus lexiis defunctorum faciendis in ecclesia Sancti Danielis, ita quod ego predicta abbatissa neque alie abbatisse mihi succedentes in predictis lexiis non tangamus neque tangi faciamus aliquo anno quounque dicto loco pietarie dicti .XX. solidi sint soluti. Preterea est uerum quod ego abbatissa retineo mihi et aliis abbatissis mihi succendentibus omnes pietancias faciendas in diebus festiuis et in diebus ad has pietancias secundum consuetudinem nostram assignatis, et sic predictos omnes honores et census et alia omnia supradicta cum omnibus pertinenciis et iuribus et donacionibus rerum et personarum modo competentibus uel de cetero competituris et cum omnibus aliis suis proprietatibus siue integratibus predicto loco pietarie assignamus sine omni retentu et dominio quod in dictis honoribus neque in personis eiusdem honoris non facimus neque in melioramentis qui ad dictum locum fieri poterunt, et fiat inde dictum seruicium pietarie bene et competenter sicut assuetum est. Si quis hoc rumpere uoluerit, non ualeat.

Actum est hoc kalendis februarii anno Domini .MCCXL. tercio.

(s. man;) Sig+num Guilielmi de Planis, in cuius manu firmarunt domine scilicet Alamanda de Scalis et Raimunda de Palaciolo et Bernarda Sancti Stephani et Berengaria de Palagreto et Cilia et Ermesendis de Aquilario et Agnes de Solerio et Geralda de Oliuis et Maria de Gordiola et Saurina de Miniana. (s. man.) Ego inagister Ugo presbiter, testis. (s. man.) Berengaria, Dei gratia Sancti Danielis abbatissa\*. (s. man.) Guilielmus presbiter, qui hoc firmo\*.

(s. man.) Richardus de Oscha, qui hoc scripsi mandato Bemardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Ego Bemardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 276-277